


**De Cvltu Ignis apud omnes gentes nationesque recepto Dissertat. I. quae
speciatim Venerationem Ignis Apvd Hebraeos Consuetam complectitur**

Vitembergae: Prelo Christiani Schroedteri, 1705

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1822642795>

Druck Freier  Zugang





La-1044¹⁻¹⁰.



8 DE 9
CVLTV IGNIS

apud omnes gentes nationesque
recepto

DISSERTAT. I.

quae speciatim

VENERATIONEM IGNIS APVD HEBRAEOS

CONSVETAM

complectitur,

PRAESIDE

**CONRADO SAMVELE
SCHVRZFLEISCHIO,**

Professore Publico,

exhibet

publico Eruditorum examini

d. VII. Novembr. A. R. S. MDCCV.

M. ARPIVS THIELINGIVS,
Hamburgensis.

VITENBERGAE,

PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

*Ex Libris
Bibliothecae
Universitatis
Rostockensis*

DE
CULTV IGNIS

apud omnes gentes nationesque

recepto

DISSERTAT. I.

quae spectant

VENERATIONEM IGNIS APUD HEBRAEOS

CONSVETAM

complectitur

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELLE

SCHWARZLEISCHIO

Professore Publico

exhibet

publico Eruditorum examini

4. VII. Novemb. A. R. 2. MDCC.

M. ARPIS THIELINGIVS

Hamburgensis

VITÆ MESSERS

PAULO CHRISTIANI SCHRÖDTERII, ACAD. TYR.

AETERNE ET MIHI
PROPTER PATER.

DEO OPTIMO MAXIMO
LVCI PVRISSIMAE, SPLEN-
DIDISSIMAE, AETERNAE,

QVAE
SINCERE SE COLENTIBVS
BENIGNISSIME AFFVLGET,

CONTRA NVMINIS SVI CONTEMPTORES
ABSVMIT, CONFICIT,
PERDIT,

CONDITORI AC SALVTIS MEAE

PARENTI VNICO
SEMPITERNA ANIMI RELIGIONE
AC PIETATE COLENDO

hoc tenue Schediasma

SACRVM ESSE VOLO
AC DEBEO.

IBI vi quondam igitur hic per-
petuus ardebat, abs Tus sede
coeloque de hapsus accendebat.

X 2

T
AETER.

AETERNE ET MIHI
PROPTIE PATER.

DEO OPTIMO MAXIMO
L VCI PARISSIMAE SPLEN
DIDISSIMAE, AETERNAE
QVAE
SINCERE SE COLENTIBVS
BENIGNISIME AFFLIGET,
CONTRA INIMIS SVI CONTEMPTORES
ABSVMIT, CONCIT,
PERDIT,
CONDITORI AC SALVTIS MEAE
PARENTI VNICO
SEMPITERNA ANIMI RELIGIONE
AC PIETATE COLENDO
hoc tenne Schediasmas
SACRVM ESSE VOLO
AC DEBO.

TIBI vni quondam ignis hic per-
petuus ardebat, abs Tua sede
coeloque delapsus accendeba-
tur,

tur, **TVOQVE** Imperio et iussu ca-
vebatur, quominus exstingveretur.
Absit igitur a me longissime, ut alii,
quam **TIBI**, quod **TVVM** est, offer-
rem. Non alienum ignem, quem
hostis humani generis atrocissimus
diabolus inter gentes accendit, af-
fero et exhibeo: nulla enim inter
tenebras et lucem intercedit com-
munio: aeternum inter haec con-
traria disfidium nulla vel huma-
na, vel divina vis tollere aut vult,
aut conatur. Pontificis quondam
Maximi Aharonis infelix soboles
Adab et Abihu me docent, omnes
illos, quibus ignem peregrinum **TI-
BI** exhibere lubet, ultrice flamma
TVA esse conflagraturus; alieno i-
gitur damno non discere, officio
hominis ratione praediti, ne dicam
Christiani, profus et omnino repu-
gnat. Cui lubentius, **CONDITOR PRAE-
POTENS,**

(3

POTENS,

POTENS, quam TIBI hunc ignem fi-
ne carentem dedico, qui omne,
quicquid fui, sum, vel ero, aut quic-
quid possideo, clementissime largi-
tur? TV vitae lumen vsuramque be-
nignissime mihi concessisti, conces-
sae providisti, provisam conservasti,
et conservabis. Ex TVO, qui mi-
nui haud potest, igne, AETERNE RE-
RVM STATOR, in mente mea flammam
per igneum quondam lavacrum ex-
citasti, quae in TVVM honorem, in
TVAM laudem constanti mentis
pietate alitur ac fovetur. FAC igitur,
BENIGNISSIME PATER, ut, quem in FI-
LIO Tvo filium adoptasti, bonitate ac
misericordia tuendum suscipias, et
flammam, in animo conceptam, ex-
stingui ne patiare, neque impedi-
mentum ardori lucique internae af-
ferri sinas, et alimentum virtutis ac
pietatis ab aeterna sede largiri mihi
velis.

velis. Non TE fugit, DVLLCISIME PA-
TER, quam multos ignes erroneos, vitae
salutisque insidiatores, malignus il-
le spiritus, pravae cupiditates nobi-
scum natae, malique demum homi-
nes subornent, ut mentes corrup-
pant nostras, et a vero lucis tramite
avertant, atque in caliginem et te-
nebras perducant. Quaeso TE, flam-
mas in castum animae domicilium
grassantes coërceas, et turbulentis,
qui exsurgunt, affectibus ope TVA
resistas, alioqui me perituum scio.
Nec TIBI suffecit hisce duobus cor-
poris et mentis luminibus me ornare,
sed tertium quoque his addidisti lu-
men, quod in intellectu meo cle-
mentissime excitasti: hac luce fac
ut sic utar, ne aliorum mentis ocu-
los perstringam, sed pro ea, quam
mihi es largitus, indole et luminis
mediocritate, aliis, quamvis ipse con-
fumar,

sumar, infervire queam. Huius lu-
minis splendorem TIBI etiam in pri-
mis totum tribuo et confecro, atque
hanc tenuem lucubratiunculam pri-
mum quasi intellectus mei radium
dedico, cumque ignis ad sublime ni-
tatur ac tendat, ego pariter me ad
TE coelumque erigam, neque in
terrae luto defixus haerebo. Accipe
CLEMENTISSIME PATER, flammulam
hanc honoris TVI causa ardentem,
igneque TVO signum da, quod ho-
stia mea litet. Adauge, quaeso, in-
tellectus mei flammam, quae rectius
scintillulae nomine venit, et effice,
ut ignis ille incrementa capiat, flam-
maque flammam trudat, ut multum
aliquando honori TVO TVAEque
laudi infervire, et beneficia pleno o-
re praedicare possim.

AETERNI NVMINIS TVI

Servus

devotissimus & humillimus

ARPIVS THIELINGIVS.



Pernuli in eo collocarunt ex-
quirendi industriam, ut quatenam
causa affinitatis rituum sit, sagaci
quadam cura assequerentur. quod
maxime quidem ad sanctum Dei
populum spectat, qui multas ritu-
um similitudines cum profanis et
divinioris doctrinae expertibus

populis habuit, quod unde factum sit, eruditiores
investigarunt. Alii tamen aliis propius ad causam
accesserunt. Plerique originem retulerunt ad va-
ferimum humani generis hostem, cuius ope, con-
silio et fraude id contigisse putant, ut leges, de riti-
bus Sacris divinitus latus, improba aemulatione imi-
taretur. Testis in hanc rem est antiquissimus Pa-
trum latinorum *Tertullianus*, cuius verba in *cap. V. de*
Baptismo leguntur: *Hic quoque studia Diaboli recognosci-*
mus res Dei aemulantis, cum et ipso baptismum in suis ex-
ercet. Nam et sacris quibusdam per lavacrum iniantur
Isidis alicuius, aut Mithrae etc. Idem ille adeundus
est in *lib. de Praescript. advers. haereticos c. 40.* Haud a-
liter existimarunt Viri inter Anglos eruditi, post *Nic.*
Fullerum, Thom. Gatakerus et *Io. Doubteius*, quorum al-
ter in *Adversar. c. XLII.* sic scribit: *Diabolus appellari pot-*

A

est

est Dei simia, quia ipse ejus sacramenta, aliosque ab ipso
mandatos ritus exsacramentis suis imitatur. Alter in *Anab.
Sacr. N. T. Exc. LXXXVI.* in eandem sententiam tradit.
Suffragatur *Henr. Montacutius* singulari libro, cui titu-
lum fecit: *Mimica Diaboli.* Idem hoc exsequitur *De-
sid. Heraldus ad Apologet. Tertulliani p. 260. seq.* Ex nostris
Dilherrus, de re divina ac literaria praeclare meri-
tus, in *Differt. de Cacozelia gentilium.* Neque hoc ar-
gumentum praeteriit, huius quondam Academiae
insigne decus, *Aug. Buchnerus in Orat. quae inter Festas
VI. est, et de Mimica Diaboli* inscribitur. Hi enim
scriptores multis rerum argumentis adducti sunt,
ut crederent, primos impiorum Numinum cultores
data opera varias ex re sacra Iudaeorum ceremoni-
as, atque adeo ex sanctissimo gentis illius templo,
in sua delubra accersivisse, praesertim cum viderent,
doctrinas Mosaicas in multis cum doctrinis supersti-
tiosarum gentium convenire. Atque id non facile
inficiari ausim, quodocunque monumenta Hero-
doti evolvo, et Philosophorum divinae veritatis ex-
pertium libros contemplor, in quibus manifesta
exstant doctrinarum vestigia, quae vel ex divino co-
dice, vel ex aliis Hebraeorum scriptis, aut sermoni-
bus desumpta, et quasi derivata ad eorum notitiam
pervenerunt. Ab hac sententia ne Patres quidem
discesserunt, quorum permulta in hanc rem testi-
monia exstant, quae congerere supervacuum duco,
hoc magis, quod ab aliis animadversa et collecta
sunt; nominatim a diligentissimo Kiloniensi Theolo-
go *Korrbolta ad Iustini Martyris Apolog. I. edit. Anglic. a
Cl. Grabio curatae p. 35. item a Briano Waltonio ad Biblia
Polyglotta Prolegom. IX. §. 6. et Nic. Nurrino T. II. Appara-*
tus.

tus ad *Biblioth. Maximam Patrum Diff. II.* Nec defunt exempla, quibus idem confirmavit *Iosephus*, scriptor gravis in *libris contra Appionem*. Inter recentiores Viri summi *Hugo Grotius* in *Notis ad librum de Verit. Relig. Christ.* passim, *Io. Seldenus* de *I. N. et G. secundum Discipl. Hebraeor. lib. I. c. 2. seq.* Cum quibus consentiunt *Herm. Vitius* lib. 3. *Aegyptiac.* novissime *Buffacus* in *Noctib. Theol. Paris. 1697. in 8vo editis Diff. III.* Alii ab his discessionem faciunt, et negotium hoc plane in dubium vocant, in quibus numerandus est *V. C. Io. Clericus*, qui in *Epistol. Crit. et Eccles. ep. VII.* communem, et omnium fere consensione approbatam opinionem, qua Plato multa doctrinae philosophicae capita Hebraeis debere existimatur, variis labefactare argumentis, et penitus evertere conatur. Nec dissimile de Graecis omnibus iudicium ferre idem mihi videtur *T. X. Bibl. Univers. p. 199. seq.* Contra alii putant, ritus sane plurimos non tam ab Hebraeis ad profanos, et ab coetu Dei remotos homines, quam ab his ad illos permanasse. Omnibus constat, *Marshamum* nuper, Virum alioqui doctissimum, id egisse, ut probaret, Hebraeos multa debere Aegyptiis, quorum disciplinam, cum apud eos versarentur, hausisse existimavit in *Canone Chronico* superiori aetate edito. Ab hoc iure dissentiunt *Vitius* in *Aegyptiacis*, *Ferrandus* *T. II. Animadvers. in Relig. Christian. gallice scriptarum*, et *Iacquelottus* *p. 243. de Existencia Dei*, qui eam quidem sententiam solide asseruerunt. Sed in omnia alia abiit *Io. Spencerus* Anglorum doctissimus, in *amplo de Legibus Hebraeorum Ritualibus Commentario*, sed ea de causa, ac merito ab eruditis nostra aetate, viris impugnatus, in quibus hanc operam sumserunt

runt *Io. van der VVayen in Variis Sacr. Disf. III. Io. Meyerus in Diatriba de Festis Hebraeor. et Melch. Leydekkerus in eximio de Rep. Hebraeorum opere*, quin et ipse *Clericus*, quem alibi tamen suffragatorem habet, in *Comment. Philol. in Pentateuchum*. Itaque libenter confutatione supersedeo, et vel in illustri exemplo volens conquiesco, quod ad ritum colendis Diis sacrum atinet, quem gentes extra Dei coetum constitutae ab Hebraeis primo omnium acceperunt, et mutuatae sunt, quippe quod non uni, aut alteri populo, sed omnibus fere gentibus ac nationibus ritus ille se probavit. Haud enim puto, ullius ceremoniae, male quam vis accommodatae, indicia temere improbari posse, et vel maxime ritum alendi ignis perpetui, tot ac tam diversis gentibus, diis suis sacra facientibus, usitatum, non ab impresso animis vestigio, deduci, sed omnino esse tralatitium, et ab externa atque acquisita populi sancti notitia desumi oportere, omni asseratione affirmo. Ex his sequitur, ut dicam, huius ritus originem Hebraeis acceptam esse referendam, nec aliunde, si ab ultimo initio repetam, arcessendam, id quod praefens dissertatio paulo uberius confirmabit.

II. Cuius meae Tractationis duo summa capita constituam, quorum alterum venerationem ignis licitam, et divinae legi consentaneam, alterum vero prohibitam et superstitiosam, accuratius ob oculos ponet. Ad illud pertinet cura ignis sacri constanter alendi: ad hoc spectat consuetudo, quae ab impio cultu proxime abest, ut quando infantes, per ignem transeuntes, Molocho initiabantur, quam Iudaei, ad superstitionem externam gentium versi, malo inducti exemplo receperunt, teste divini
niori

niori codice, cuius auctoritas nos dubitare non sinit.
Quorum refertur debet recentiorum Iudaeorum superstitio, qui in celebrandis sabbati solennibus perpetuo lumen accendunt, idque ommittere religioni sibi ducunt.

III. Itaque tractandi initium facturüs, istam amoliri suspicionem necesse habeo, quasi ignis ille, perpetuus a Iudaeis aequae ac impiis gentibus, divino ac religioso cultu affectus fuerit, quod sane est pernegandum. Longe enim alia fuit sententia veterum Hebraeorum, divino foederi insistentium, et religionis suae munia sine omni impietatis et pravi simulacrorum cultus suspicione sancte et solícite peragentium, ut vel hoc nomine peculium Dei appellarentur. Tantum abest, ut igni huic divinitatis aliquid tribuerint, aut vim quandam cum Deo communem assignaverint, ut potius abs tali superstitione prorsus abhorrerent. Idcirco illa ignis veneratio, quam Iudaeis assero, plane seiungenda est a Dei cultu, et officium tantummodo obsequiumve gentis, cui Deus ignis perpetui curam iniunxerat, commendat, nec quicquam momenti ad *θεῖον ὄργανον* nunc affert. Mandatum ceteroquin divinum de perpetuo igni fovendo ac servando existat *Levit. VI. 12. 13.*

IV. Atenimvero primordia huius, de quo dixi, ignis, unde repetenda sint, dubirandi occasio datur. Sunt, qui ab ultima antiquitate repetendum putent. Etenim varia in N. T. praesto sunt exempla, quae abunde confirmant, Deum saepe ignem sacrificiis comburendis inmisisse, ut vel hoc argumento coniectura quorundam muniatur, Deum nullo alio, quam

quam sacro et divinitus excitato igne, victimas sibi
sacras consumi voluisse. Itaque ad sacrificia Abelis
et Caini, in codice diviniore prodita, confidenter
provocant, quorum ille gratiam a Deo inierit, hic
gratiae spe exciderit, totusque fuerit improbatus.
Quod cum uterque intelligeret, certe hoc non alio
constare sacrificantibus indicio potuisse arbitrantur,
quam ex muneribus, quae Abel obtulerat, coelesti
igne accensis, et gratis acceptisque a Deo habitis: se-
cus atque Caino usu venit, cuius sacrificium a Deo
reiectum, et minime accensum fuit. In quo con-
stituendo omnes fere consentiunt interpretes, ex ve-
teribus *Sancti Patres*, quibus mea quidem opinione
praeivit *Theodotion*, qui interpretatione sua id com-
probavit, et luculente expressit. Nec minor est re-
centiorum numerus, ubi reperiuntur complures, at-
que inter hos *Oleaster, Piscator, Grotius*. Ex nostrati-
bus *D. Franzius in schola sacrific. Patriarchal. Diss. V. §.*
5. seq. et D. Calovius astipulantur. Praetereo alios,
et brevitati studeo. Neque hic consideranda su-
mam alia atque alia huius rei signa, quae a multis
venditantur, et nominatim a *Fran. Mercurio ab Hel-*
mont, Viro novitatis cupido, et in varias erroneasque
opinionem delapso, quod videre licet ex *Cogitationibus*
eius super IV. Geneseos capita, in quibus multa historiae
Mosaicae adversa cumulavit. Atque hoc quidem
est primum, sed non solum ignis coelestis, ad sacri-
ficia adhibiti, documentum, quandoquidem plura
observare licet in historia *V. F.* quae cursim notare
sufficiat. Utpote *Gen. XV. 17. Levit. IX. 24. Iudic. VI. 21.*
I. Reg. XVIII. 38. I. Chron. XXI. 26. et II. Chron. VII. 1. At-
tigit huius argumenti partem *D. And. Dan. Habichbor-*
sius,

stius, in *Diss. de Igne coelesti ad illustranda aliquot scripturae loca* Rost. 1704. habita.

V. Haud dubie ergo huius rei fama ad profanarum aures gentium pervenit, quae excitatae simile aliquid suis quoque sacrificiis, quae diis offerebant, contigisse finxerunt, idque aliis etiam persuadere voluerunt. Nisi cum *Bocharro* visum est probabilius, et creditu facilius, ignem istum permisu DEI in *καποζήλοis* impiorum sacrificiis accensum. Eam in rem varia collegit in *Hierozyico lib. II. P. I. c. 35.* *Huetius* in *Quaest. Alnetan. de Concordia Rat. et fidei P. II. c. XII. §. 21.* et *Doughtei* in *Anal. Sac. V. T. Exc. XLVI.* Nec omitterendus est *Kircherus* in *Oedipo Aegyptiaco T. I. p. 233.* *Cl. Baelius* T. I. p. 17. b. *Dictionar. Histor. Crit. et T. II. p. 107. seq.* et *Rad. Cudworthus*, Anglorum doctissimus, in *Dissert. Anglice scripta de Vera Notione Coenae Domini- cae, quae addita est eius systemati Intellectuali huius universi.* Equidem illius rei originem ad famam retulit *Huetius*, et *Horatii* insuper testimonio *Serm. lib. I. sat. V.* confirmavit. *Horatius*, inquit, ingeniosus ille demonstrator in *Demonstr. Evangel. Prop. IV. §. 7. p. 350.* *Egnatianos* deridet, qui advenis persuadere cupiebant, *obura apud se sine flamma sponte liquecere.* Quod ut ex *historiis Iudaeorum* propagatum esse ostendat, subiicit: *Credat Iudaeus Apella: non ego.* Quae, opinor, efficiunt, ut eo magis credam, divinam illam, et miraculi plenam sacrificiorum cremationem in V. T. contigisse, atque adeo sacrum ignem vel ex coelo superne delapsam, vel alia ratione divinitus excitatum. Hunc autem proluisse mandato Dei, et consuetudini perpetuum ignem servandi, commode cum viris, quos praedixi, eruditis, dicere mihi licet. At enim vero ipsius

ipsius mandati promulgatio longo post tempore accidit, et demum facta est sub Mosis tempus, quem DEUS ceremonias sacrorum faciendas edocuit, ut legitur in tertio eius libro, qui *Leviticus* dicitur VI, 12. 13.

VI. Ceterum reperiuntur, qui sibi persuadent, ignem sacris, quibus Abel operatus est, divinitus immissum, perpetuo asservatum, et comburendis Patriarcharum vicinis destinatum, imo etiam usque ad tempora, quae eluvionem Noachicam consecuta sunt, continuatum fuisse. Et id quidem aliquam veri speciem habet, sed auctoritate divini scripturae, et argumentis omni exceptione maioribus confirmari non potest. Quae causa est, cur hic nihil definiendum putem, nec tamen quidquam de meritis Theologorum detractum velim. Sane *D. Franzius* suam l. c. copiose exposuit sententiam, eamque probavit *D. Calovius*, adeo ut palam scriberet, *ignem super Abelis sacrificium delapsum, asservatum fuisse ad primaeva sacrificia deinceps accendenda*. Neque ab hac opinione alienus videtur *Herm. Hardeus*, Vir quamlibet Hebraicae antiquitatis intelligentissimus, in *Ephemerid. Philol. Disc. VI. p. 90. seq.* Vbi de columna nubis et ignis differuit, et arbitratus est, ignem sacrum inde ab Adami temporibus ad Mosen usque conservatum fuisse, qui eiusdem ritus auctor fuerit Aaroni, divini Hebraeorum cultus Antistiti, ut cum hoc sacro igne, divinae praesentiae et gratiae signo, praeiverit populo, atque adeo exercitum, coelestibus auspicijs ex Aegypto emigrantem duxerit, et in libertatem vindicaret. Idcirco hunc ignem columnam, nubis et ignis in codice sacro appellari autumat, quippe

quippe qui interdiu, ob splendorem solis, remotiori loco consistentibus fumi nubem, noctu vero insignem splendorem oculis spectandum praeberit. Quam sententiam nec defendo, nec refello, sed modeste, aliis diiudicandam relinquo, quanquam non diffiteor, eam multis difficultatibus implicitam, quae meum scribentis animum in diversas partes facile trahant.

VII. Haec autem quo magis dubia sunt, eo firmiora existimari debent, quae ex ipso diviniore codice de igni sacro divina vi excitato, depromuntur, conceptisque verbis ibi tradita leguntur. Omnino enim constat *ex rituum Mosaicorum libro IX. 24.* victimas, prima vice ab Aarone in ara tabernaculi dispositas, sacro igne divinitus accenso combustas, ut vix dubitare, multo minus inficiari ausim, ritum ignis sacri in ara perpetuo alendi, ab Hebraeis auctoritate mandatoque divino profectum, ab iisque ad reliquas gentes deductum fuisse et propagatum. Quare longius abeant necesse est, qui ritus huius originem apud Aegyptios, vel apud alium impiae superstitionis populum quaerant. Quod fuit eiusmodi, ut Anglorum doctissimos *Marsbanum* et *Spencerum* abs tali coniectura dimoveret, et *Clericum*, illis plerumque suffragantem, abs tali coniectandi licentia arceret, nec facile alium, quem sciam, eas in partes inclinaret. Quin potius omnes, quos recensui, mecum consentiunt. His addo dignum *ἐπιπέριον* *L. Dassovium* in *Diss. de Altari externo Hebraeorum §. 24.* Vbi tradit: *ab Hebraeorum igne perpetuo fortassis dimanavit historia ignis perpetui gentilium.* Idem hoc tuendum suscepit *V. C. Thom. Hyde* in eleganti et erudito tractatu

B

de Re-

de Relig. vet. Persarum c. VII. p. 141. Eandem viam ingressus est *Io. Iac. Cramerus in Exercit. de ara exteriore templi* habita, in qua existimat gentes, a vera Dei notitia alienas, propter memoriam ignis ex coelo delapsi, qui Patriarcharum victimas incendit, fabulosum Vestae numen veneratas. Cuius rei argumentum ex ipso huius Deae nomine sumit, idque arbitratur, hebraeam referre originem, et constare vocibus אֵשׁ אֱלֹהִים ignem Dei significantibus. Quamvis vero haec derivandi ratio longius petita videatur, tamen *V. C. Io. Clericus in novissimo ad Hesiodum Comment. p. 76.* antiquum Vestae nomen vel ab Hebr. אֵשׁ vel Syriaco אֵשׁ אֱלֹהִים derivandum censuit, quod nunc quidem non excutio, et in alium commodiorem locum reiicio: atque idem illud in medio relinquit *Simon Patrick Praeful Eliensis in Commentar. in Pentateuchum Anglice edito ad Levit. VI. 13.*

VIII. Ab ritus origine me convertam ad alimenta ignis perpetui, et quomodo, quave cura servatus sit, investigabo. Etenim ignis, quem in sacrificiis, ab Aarone oblatis, incensum dixi, non extinctus est, neque eum extinguere sacerdotes passi sunt, haud dubie memores divini praecepti, quod pro sua pietate continenter exsequi, et religiose praestare studuerunt. Non vero perinde certum est, vtrum ignis ille *אֵשׁ אֱלֹהִים*, et divina, ac miraculi plena virtute excitatus, eadem ratione conservatus et custoditus fuerit: an externo ignis alimento indiguerit. De posteriori non convenit inter scriptores, et reperiuntur, qui dubitent, eo quod hoc parum sive cum Numinis religiose colendi maiestate, sive cum admiranda ignis sacri origine, ipsiusque coelesti natura congruere putant,

putant, atque adeo in priori sententia acquiescunt. Inter hos familiam ducit *Buxtorffius in Historia Ignis sacri*, quae inter Exercitationes eius existat, c. II. Eum fere sequitur *Cl. Lundius in opere quod ad Hebraeorum antiquitates pertinet lib. I. c. XXXIV. p. 187.* At nequicquam tanti momenti sunt haec argumenta, ut contrariae sententiae robur infringant, quandoquidem ea cum praecepto divino per omnia congruit, nec veterum Hebraeorum, quorum auctoritati in capite antiquitatis permultum tribuo, testimoniis repugnat. Hoc enim praestruendum hic fundamentum est, ad quod labefactandum *Buxtorffius* est aggressus *loc. cit.*, ignem, quem Deus accendisse legitur *Levit. IX.*, eundem esse, de quo in perpetuum conservando cavebat Deus et sanxerat, *Levit. VI.* Id quod seriem Moisaicae narrationis accuratius inspicienti et reputanti minime obscurum erit. Quod si autem cum maiestate Divini Numinis non pugnat, ut ignis hic in modum ignis sublunaris sacrificia incensa consumat, ecqua ratione eidem adversabitur, si ignis quidem alimento non indiguit, sed tamen voluntate Dei, lignum et ignis alimentum praecipientis, cuius causa nos fugit, omnino conservatus fuisse censeatur? Atqui vero sacrificiorum incensionem igni sacro tributam fuisse, non solum pluribus exemplis, quorum supra memini, verum etiam ex supplicio Aaronis filiorum, qui profanum ignem in sacra Dei conatu impio et temerario inferre non veriti sunt, doceri abunde et demonstrari potest. De altero *Buxtorffii* argumento, quod ab admiranda illius ignis origine desumfit, nullam video idoneam consecutionem, ignem illum, qui divina vi, nec sine miraculi indicio, omni-

B 2 bus

bus satis superque manifesto, productus sit, divina itidem et prorsus extraordinaria ratione ali et custodiri debuisse. Multa enim a Deo, quae naturae vires exsuperant, confecta esse legimus, quae deinceps miracula esse desierunt. Nec maius certe pondus habet, quod a coelestis illius ignis natura desumfit. Ut enim taceam, ex ea nihil solide demonstrari posse, ideo quod parum nobis explorata sit: illud duntaxat admonebo, ignem illum aequae facile et naturae convenienter terrestri materiae adjuventis ali potuisse, ac idem ad sacrificia consumenda a Deo adhibitus accommodatusque fuit. Non minus enim hoc, quam illud, ab igne coelesti longissime abesse, quivis percipit, et intelligentia sua comprehendit. Quae, nisi fallor, ita se habent, ut sententiam Buxtorfii si non evertant, omnino dubiam reddant, praesertim quum auctoritate Iudaeorum quoque nitatur, quos ipse non ignoravit Buxtorfius, nec diffiteri potuit *Lundius*, eam in sententiam Hebraeorum magistros scripsisse, et haud obscure tradidisse, ignem sacrum divinitus excitatum, veteres sanctae gentis Antistites lignis aluisse *loc. cit.*

IX. Eadem sententia praesidium habet in festo et solenni ritu, quem Iudaei observarunt, et usu probarunt, ut statis anni temporibus ligna comportarent, temploque inferrent, quae igni pabulum subministrarent, quod *ξύλοφορμα* nomine appellarunt, ut gravis auctor est *Iosephus*, antiquitatum Iudaicarum scriptor multo diligentissimus *lib. 11. c. 17. de Bell. Iud.* cuius haec verba hodie leguntur. *Ἡ δὲ ἐξῆς τῶν ξύλοφορμῶν ἐστὴν ἕσθις, ἐν ἣ πάντες ἐθροῦν τῶ βασιλῆως προσφθέρειν, ὅπως μήποτε τερφῆ τῶ πυρὶ λίποιτο, Διαιμένει γὰρ ἄσβε-*

ἐστὶ αἰὶ, τὰς μὲν Διὰ Φόβου τῆς θεοσεβείας ἐξέκλεισαν. Quamvis haec ratio, vt verum fatear, non sic firma sit, vt omnem dubitandi occasionem praecidat, propterea quod sub templo demum secundo haec solennia ab Nehemia instituta esse, non obscure conficio ex *Nehem. X, 34. XIII, 31.* Qua in re viam mihi praeiuit vir magnus et incomparabilis *Ios. Scaliger de Emend. temp. lib. VII. p. 609. edit. Lugd. 1598.* Nam quae de Gibeonitis *Ios. IX, 23.* leguntur, ea nihil aliud inferunt, quam eos lignis ad usum templi, atque adeo ad ignis etiam sacri alimentum comportandis adhibitos, sed solenni id ritu institutoque peractum fuisse, nequiquam confirmant. Quo legamus licet *Leydeckerum in opere de Rep. Hebraeorum lib. XI. c. II, §. 8. et c. III, §. 9. 10. Meyerum in distributa de Festis Hebraeor. c. X, §. 8. Sam. Peritum, in Var. Lection. lib. IV. c. 8. Gisb. Voëtium P. III. select. Diss. p. 1280. B. Quenstedium in Antiquit. Bibl. p. 863. et Ioh. Saubertum de Sacrificiis c. XVI. p. 361. seq.*

X. Satis, opinor, dictum est de ignis sacri apud Hebraeos alendi ratione: nunc sequitur, vt dispiciam, quamdiu idem ille ignis duraverit. Haud quidquam a veritate aut a sacri Codicis auctoritate alienum dixero, si eum inde ab Aaronis aetate usque ad templi Salomonei inaugurationem serie non interrupta propagatum credam. Nam postea novum eiusmodi ignem sacrum a Deo Hebraeis impertitum fuisse ex *II Paralip. VII. 1. seq.* luce clarius patebit. Quod exemplum firmandae Iudaeorum, et nominatim magistrorum eorum *abarbanelis* sententiae, peraptum videtur, quippe qui fatentur, omni tempore, quo altarium in V. T. dedicatio peracta est, ignem ex coelo delapsum. Illius verba transcribere

superfedeo, quae legi possunt in *Commentario* eius ad *Hagg. I.* Vtrum vero eadem felicitas templi secun-
di, eiusque altaris dedicationi contigerit, in contro-
versia positum est, quando ipsi etiam Iudaei de hoc
dissentiunt vehementer ac dissident, nec maior in-
ter ceteros antiquitatis Iudaicae scrutatores concor-
dia observatur. Parum enim veri est simile, sacrum
ignem usque a Salomonis tempore per multos ca-
ptivitatis Babylonicae annos asservatum fuisse, quem
multi extinctum sublatumque esse iudicant, inter
quos est *D. Polyc. Lyserus*, qui, teste *D. Franzio, Comment.*
ad Gen. IV. existimavit, soluta captivitate Babylonica,
Hebraeos novo igne divinitus donatos esse. Sed
obnituntur Iudaei, qui passim inter *V. momenta*,
quae templo *II.* defuerunt, illud quoque commemo-
rant, ignem ex coelo delapsum, id quod nova eaque
hieroglyphica argumentandi ratione, quam Cabba-
la ipsis suppeditat, ex oraculo *Hag. I. 8.* confirmare om-
ni opera et studio conantur. Quo spectat magna
testimoniorum Iudaicorum farrago, quam producit
Rayn. Martini in Pugione fidei P. II. c. IX. et eius exscri-
ptor *Pet. Galatinus de Arcanis Cathol. Verit. lib. IV. c. IX.*
His adde praeter *Fagium ad Levit. IX. 4.* *Drusium ad II.*
Maccab. I. Mullerum P. I. c. XV. Iudaismi Detecti, Hack-
spanium Not. Philol. P. II. ad Hag. I. 8. B. Franzium in
Schol. Sacrif. Patriarchal. Disp. V. §. 66. seq. et XI. §. 35. seq.
Verum cum in hac Iudaeorum observatione multa
cum eruditis desiderem, et pleraque etiam, quae a
templo *II.* abfuisse, Iudaei putant, in eodem existitis-
se cognorim, vix tuto eorum placitis stare possim.
Inter alios praedicto loco *D. Franzius Disp. XI. §. 39. seq.*
argumentis haud inanibus docet, Arcam, *Vrim et*
Thum-

Thummim, oleum item et Spiritum Sanctum, ipsi-
que ignem sacrum, quibus templum II. caruisse Iu-
daeii autumant, haudquaquam illi desuisse. Nec pau-
ci assentiuntur Franzio: sigillatim de Vrim et Thum-
mim, quae in templo II. manserint, suffragatur *Rei-
zius in Notis ad Goodwini Mosen et Aaronem lib. II. cap. I.*
Neque arcam in templo II. desiderant *Iac. Salianus*
et Aug. Tornellus. Vtriusque verba et argumenta le-
gi possunt apud *Zach. Dorscheum in P. II. Theol. Zachar.*
Diss. II. qu. II. qui in neutra quidem sententia acquie-
scit. A negantium partibus stetit *D. Io. Bened. Carp-
zovius*, nec multum abiit *D. Io. Henr. Maius in Dissert. Se-
lect. II. p. 67. seq.* qui veterem arcam periisse, et no-
vam ei deinceps substitutam, atque in templo asser-
vatam esse opinatur.

XI. Sed haec talia mihi exquirenda non sumo,
nec instituti ratio plura permittit. Videntur tamen
Iudaeorum convellere auctoritatem. Si enim ea,
quae dixi, a templo II. non abfuerint, consequens
est, ut idem de igne quoque sacro dicere mihi inte-
grum sit, vel maxime, quod contraria aliorum Iu-
daeorum testimonia in promptu sint, quae iam du-
dum eruditi in medium attulerunt, ut qui ea repe-
tat, otio abuti videatur. Illud tamen hic non refi-
cendum est, quod inter utriusque templi ignem di-
scrimen constituent, adeo quidem, ut templum po-
sterius priori multum concedat, et cum ob dignita-
tem atque praestantiam, tum ob singularem ignis
splendorem illo inferius censeatur. Quam in rem
lege sis *Abarbanelem ad Hagg. I.* Eodem pertinet, quod
*R. Chaninab in loco Drusii allegato, et Auctor libri Talmu-
dici כפתור ופרח* aliique Iudaeorum magistri affir-
mant,

mant, ignem templi II canis, at prioris speciem,
et figuram leonis prae se tulisse.

XII. Ad hanc sententiam magis confirmandam
quodammodo afferri testimonium potest ex libro *Maccab. II. c. I.* Vbi ignem sacrum a sacerdotibus in caverna
subtus terram absconditum fuisse, auctor tradit, quem
posteri eorum solerti quidem studio indagare volu-
erint, sed spe frustrati, pro igni aquam invenerint,
ex qua sacrificiis affusa, repente nec sine admiratio-
ne et stupore adspectantium, flamma emicuerit. Sed
nemo tam obtusus est, ut non videat, nemo tam he-
bes est, ut non intelligat pleraque talia fabulis im-
mixta, quae eiusmodi sint, ut reliqua etiam in su-
spicionem falsi adducant, praesertim cum incertus il-
lius libri auctor in aliis quoque rebus offenderit saepe,
et fidem labefactarit. Non dicam, quod hic lo-
cus cum altero *II. Maccab. X. 3.* vix aegreque concilia-
ri possit, utpote in quo ignis ex filicibus excussus,
altari recens exstructo, et victimis ibi mactandis ad-
hibitus fuisse traditur, quod sane argumento est, re-
cuperationem ignis sacri, quam *c. I.* designat, confi-
ctam potius, quam veram existisse.

XIII. At nihilominus in hac sententia perstitit
D. Franzius in schol. sacrif. Patriarch. loc. cit. et praeci-
pue *Disp. XI. §. 37.* Vbi vere meritoque perstrinxit,
Iudaeos, et quae ab iis pro sententia priore ex *Mich.*
I. 8. et *Cantic. VIII. 8.* proferantur, ridicula esse prorsus
et anilia commenta. Sed non dissimulo, eas, quas
pro se affert, rationes non facile suffecturas, ut quis-
quam in illis plane acquiescat. Nam quod *Disp. V. §. 28.*
submonuit, populum sanctum post LXX. captivitatis
annos, non videri eo insaniae processisse, ut custodia
liberatus

liberatus, novo crimine se alligaret, et ignem alienum sacrificii causa usurparet, id parum ad tuendam hanc causam valet. Neque enim Iudaeis id vitio verti poterat, quippe qui non per incuriam, aut mandati divini contemptum, sed necessitate quadam *ineluctabili* coacti sunt, profano igne uti, cum sacro illo destituerentur. Alterum, quod reponitur, ne ipsi quidem dissentienti facit satis, quasi ad gloriam, et splendorem, qui templo II. promittitur *Hag. II. 10*, pertinuerit restitutio ignis sacri. Inde enim colligere expeditum esset, ignem templi II. praestantiorum igne I. templi fuisse, quod ipsi Iudaei, in huius alioquin antiquitatis parte D. Franzio non repugnantes, inficiantur. Ut consulto omittam, templo II. gloriam, quod Noster ipse diffiteri non potuit, sola Christi nativitate, interprete diviniore Scriptura, conciliari debuisse. Nec maioris momenti est tertia ratio, quae §. 30. affertur. Nam qui ignis ad sacrificia adhibitus commemoratur a *Malach. I. 10*, idem ille profanus perinde ac divinus et coelestis videri potest. Neutrum enim scriptura definit. Neque in *II. Maccab. I.* ponendum causae praesidium putat, neque commoda est locorum conciliatio, qui in hoc argumento sibi manifeste adversantur. Quo fit, ut tandem aperte et vere Noster scribat, *libros illos Maccabaeorum non esse canonicos, et sibi met ipsis contradicere.* Intelligebat enim, ea, quae ad removendam illorum locorum pugnam allata fuerant, ad controversiam, quam praedixi, componendam sufficere non posse.

XIV. Quamobrem hoc negotium sane eiusmodi est, ut nihil certi de eo dici ac definiri possit, cum divino afflatu perscriptus codex in universum taceat,

et Iudaei, qui rerum suarum maxime intelligentes videri poterant, sibi non constent, et rationes ab interpretibus Christianis allatae non satis firmae sint, si iustis ponderibus examinentur. Alioquin novum, inde argumentum venerationis, quam sacer ignis apud Iudaeos habuit, arcesse haud sine causa potest, quandoquidem hunc ignem tanti fecerunt Iudaei, ut iacturam illius inter res eas referrent, quae templi II. splendorem, comparatione templi I. instituta, defectu suo imminuerent valde et obscurarent.

XV. Pergo ad alterum dissertationis caput, et dimissa priori veneratione, qua Iudaei, Deo non invito, aut non prohibente, ignem profecuti sunt, ad alterum venerationis caput me converto, quod a priori multis modis differt. Illa enim vero cum praeceptis divinis consentiebat, neque a vero Dei cultu aliena erat: haec contra in cultum superstitiosum atque impium degenerabat, Deoque vehementer displicebat, et semel iterumque ab eo vetabatur. Quae enim varia et perversa huius populi indoles fuit, plerumque a diviniore institutis recessit temere, et in superstitiones delabi consuevit impiosque gentium cultus imitari. Quam in rem legi possunt *Io. Seldenus de Diis Syris*, *Thom. Goodwinus in Mose et Aarone*, *Spencerus de Legibus Hebraeorum Ritualibus lib. I. cap. I. sect. I.* *Hottingerus in Idolographia V. I. quae in Primitiis eius Heidelbergensibus exstat*, *Leusdenius in Philol. Hebr. Mixto Diss. XLII. XLV. et Braunius in Sacr. Select.* Ita nullus est dubitandi locus, quin superstitiosam ignis venerationem ab impiis gentibus acceperint, et ad ritus suos traduxerint: quo de argumento nunc eo brevius disquiram, quo copiosius alii de hoc differuerunt.

XVI. Ce-

XVI. Ceterum superstitiosam ignis venerationem observasse mihi videor in ritu traducendi infantes per ignem, quem Iudaeis usitatum fuisse non uno in loco fidem facit divinus Codex. Hunc itaque consideranti exquirenda origo erit, quae non aliunde, quam ab impiis gentibus arcesci debet. Illum enim et improbavit et aversatus est Deus, eiusque vetandi causa mandatum promulgavit, quod legere est *Levit. XVIII. 21. et Deut. XVIII. 10.* Itaque non dubito, quin Iudaei hunc morem, inter profanas gentes receptum, crebro animadverterint, et oculis usurpaverint, ob eamque causam Deus graviter sanxerit, ut ne ritus huius imitatione fascinati manus mentesque suas contaminarent. Verum, ut brevi eos mandati huius oblivio ceperit, patet manifestumque est ex pluribus exemplis, quae in Diviniori scriptura passim enumerantur, ut *II. Reg. XVII. 17. XXI. 6. et XXIII. 10. 11.* quae documento sunt, Iudaeos nihilominus superstitiosam ignis venerationem consecutos.

XVII. Quod eo clarius fiet, si causam huius ritus inquisiverim penitus, quem non Molocho solum, sed ipsi etiam per se igni venerationis causa tributum fuisse putamus. Idque vel ex eo evincere non difficile est, quod impii et superstitione corrupti homines transitu per ignem infantes suos lustrari pariter ac purgari crediderunt. Quam eorum fuisse sententiam *LXX. me* confirmant, quorum interpretatio hoc manifesto indicat, ut ex loco *Deuter. XVIII. 10.* liquet. Ibi enim transitus per ignem prohibetur et verbis Graece significantibus redditur ac declaratur: *ἔχ' ἐπιθεῖσθαι ἐν πυρὶ ἑθνωθῆσθαι καὶ ἐν ἑνὶ αὐτῷ καὶ τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ ἐν πυρὶ.* Eadem fuit aliarum gentium persuasio

milo

C 2

Grae-

Graecarum iuxta atque Romanarum, id quod docent
illarum καθάρσις, harum februa et lustralia confir-
mant, quae non tantum aqua, sed igni etiam peragi
consueverant, ut ex veterum libris eruditi sciunt, ex
quibus nuper multa in hanc rem testimonia collegit
Lomeierus in libro de lustrationibus veterum edito. Vnus
h. l. mihi sufficiat *Ovidius*, et in illustri (urinam inte-
gro) *Fastorum* opere calculum adiecit *Fast. IV. 235.*

Expositus mos est, moris mihi restat erigo,

Turba facit dubium, corptaque nostra tenet.

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli

Excoquit: ideo cum duce purgat oves.

De Hebraeis et reliquis in Oriente populis testatur id
Maimonides in More Nevuchim P. III. 37. cum tradit, cul-
tores ignis pro vero affirmasse, omnes eorum liberos esse
morituros, qui filium aut filiam suam per ignem non tra-
duxissent. Quae verba fidem mihi faciunt, antiquas
gentes singularem igni vim ad avertendas omnis ge-
neris noxas et morbos vendicasse. Nec aliter sensit,
Theodoricus quae est. in II. Reg. XLVII. p. 35. edit. Sirmondi his
verbis: *ידונו דא ירו אפולגמא קוים ערא נגא נא דאגנס.*
Ad hanc ritum magnopere illustrandum faciunt,
quae nuper commentati sunt *Spencerus* et *Brannius*, ille
de legibus Hebraeorum lib. II. c. X. Sect. IV. hic in *Selectis Sacra-*
lib. IV. c. VIII.

XVIII. Maxime autem hoc *Maimonidis*, quem
paulo ante laudavi, auctoritas corroborat, quippe
qui cultores ignis ritum hunc observasse diligenter,
et retinuisse constanter tradit, quemadmodum id de
Persis constat, quos cultui ignis summopere deditos
fuisse palam est, idque ex *Brissonio*, *Schickardo* et *Pocock-*
io satis constat. Ut vel hoc indicio colligam, gentes
olim

olim in transitu per ignem praecipuum ignis colendi momentum possuisse, quarum exemplum haud dubie Judaei, ut mobiles eorum animi erant, secuti, disciplinam religionis suae contemserunt, mandatumque Dei impie neglexerunt, et in ad mores ritusque gentium se componerent praefracte et conformarent.

XIX. Nec me de sententia mea dimovebit, qui dixerit, consuetudinem istius ritus ad solum Molochi simulacrum pertinuisse, quod non obscure innuat divinus codex, et gentium monumenta probent, praesertim cum infantes non solum ignem transiisse, sed etiam igne consumpti totique immolati videantur. Etenim pro vero sumitur, transitum per ignem, transeuntium immolationem semper designare. Equidem haud inficiari possum verbum העביר, quod transitus notione dicitur, et ad Molochi cultum transfertur, etiam de immolatione ipsa pronuntiari ab Ezech. XVI. 20. 21., dum ait: וְהַשְׂחִי אֶת-בְּנֵי וְהַחֲנֹם אֶת-הָאִמָּה לְהַעֲבִיר בְּהַעֲבִיר אֹתָם לְהַעֲבִיר Sed non est, cur concedam, talem hujus verbi significationem esse perpetuam, qua divinus Vates h. l. usus est. Nam verbum, de quo in praesentia agitur, nonnunquam de solo transitu accipiendum esse, submonet me locus *Levit. XVIII. 21. cum Levit. XX. 2.* collatus. Ille enim de transitu per se, iste de immolatione intelligendus videtur, in quo et permulti interpretes mihi suffragantur, ne unius praeccepti supervacua repetitio instituat. Tum vero exempla lacris literis prodita docent, transitum infantibus non semper mortiferum fuisse. Sic Achazus Ezechiam filium traduxit per ignem, quod certe legitur *II. Reg. XVI. 3.* et idem ille longo post tem-

pore patri successit in regno. Quin et profanorum monumenta scriptorum confirmant, duos et diversos ritus fuisse, et infantes nunc ignem transiisse incolumes, nunc ignis vi combustos interiisse. Vid. *Spencerus loco predicto Sect. II. p. 318. et Herm. Vitisus lib. II. Diss. V. p. 614. Miscell. Sacr.*

XX. Idcirco Hebraeorum doctissimus *Maimonides* tradit: Infantes a parentibus per medium ignem traductos, nec tamen igni, ad cultum Molochi instructo, combustos, quod non perinde aliae gentes facere consueverint, atque impius *Numinibus* corpora suorum devoverint et cultus solennis causa exurenda curaverint. Verba eius in lib. de Idolol. c. VI. §. V sic habent: ומעבירו כרגליו מצד זה לצד אחר בתוך השלהב לא שהוא שורפו למלך כדרך ששורפים בנחם ובנותיהם לעכום אלא כהעברה כלבר תתה עבודה זו ששמו טורק

Idem sibi persuasum habuit Vir multa et varia eruditione, *G. J. Vossius de Origine et progressu idololatriae lib. II. c. V*, quo in loco ita scribit. Haec traductio non erat crematio liberorum, sed februatio h. e. purgatio sive expiatio quaedam, qua per spatium inter duos ingentes ignes intermedium vel a *Camaris* sive sacerdotibus, vel ad eorum praescriptum a parentibus ipsis, ducebantur aut gestabantur. At horum quoque placitis non per omnia standum est, cum ab auctoritate sacri Codicis deserantur, qui Molocho infantes immolatos esse, non uno in loco declarat. Certe locus *Ezech. XVI. 20.* omni dubitatione vacat, et liberos Molocho sacrificatos esse confirmat. Congruit *Jeremias c. VII. 31.* et liberos sacrificii causa combustos ac Molocho immolatos non sine divina indignatione tradit. Quare non assentior *Cl. Vossio Patri* facti hujus veritatem inficianti, et

Ammo-

Ammonitas Molocho suos liberos sacrificasse perneganti. Idcirco cum Hebraeorum Magistris, quos *Aben Esra ad Levit. XVIII. 21.* citat, ritum vtrumque coniungere praestat. Verba illius haec sunt: *ומלת להעביר כמו לשרוף כי זאת היתה עבודתו ויא כי יעביר הכן על האש: שומות: ויש מי שחיה ויש מי שימות:* Ex quibus intelligitur verbum העביר *comburendi* notione exponi posse, quia hoc cultus genere Molocho afficiebatur: inveniri tamen alios, qui de traducendis per ignem infantibus explicari malint, quorum alii per ignem traducti incolumes maneat, alii vero intermoriuntur. Posterior sententia illi placuit, cujus verba extant in pervulgato libro, cui titulus est *Micblal Jopki ad Levit. XVIII. 21.*

XXI. Cum igitur certum habeam, impio Molocho simulacro non semper immolatos fuisse infantes, aut igni crematos periisse, nihil impedit, quominus dicam, transitum isthunc non tam propter honorem Molocho exhibendum, quam alia de causa, puta emolumenti vel commodi, de quo supra non nihil dixi, institui consuevisse, praesertim cum Scriptura praeceptum de omittendo isthoc transitu, nulla Molocho mentione facta, complectatur *Deut. XVIII.* Fortasse tamen *Spencer* subscribere praestabit, qui loco superius commemorato *Sect. IV. p. 325.* statuit, idololatras, cum liberos per ignem transire facerent, ultimo quidem Molocho aut solem, proxime vero ipsum ignem, symbolum solis coluisse. Nemo equidem ad hodiernum usque diem satis exploratum habet, quid Molocho nomine intelligendum sit, cum tot et tam discrepantes de hoc argumento sententiae inveniuntur, ut vix ac ne vix pronuntiari quidquam ac definiri possit. Quas summatim apud *Spencerum* legamus *loc. cit. Sect. I.* et apud

pud Job. Jac. Schudt in Tractatu de Voto, fato & facto
 Jephthae lib. II. p. 318. Quae cum in concordiam re-
 digi non queant, tum illa mihi arridet, quae Spencero
 verisimilis est visa, qui nomen Molochi diis omnibus
 commune fuisse statuit, quo gentes quandoque daemonem
 aut herocem aliquem famosorem, saepius autem solem in
 simulachro aliquo coluerint. Prius sententiae suae ca-
 put diligenter et diffuse demonstrat Spencerus, in al-
 tero brevior est, nec ullam pro eo tuendo rationem
 affert, quam quae p. 325. continetur, ubi ait. *Prove*
Ethnici lunam nomine מלכת השמים reginae coelorum,
ita solem praecipue sub Molechi vel Regis coelestis titulo co-
luerunt. Quo argumento ante eum Abarbanel usus
 est, cujus nomen, nescio qua de causa, praetermisit,
Commentar. in Jerem. XLIV. 17. ואני כבר מודעתך דעתי
שהבעל שהיו עובדים היה כנגד השמש והוא הנקרא
מולך. Et postea

כמו שיכנה הכתוב השמש כשם מולך כן כינה הורח
 כשם מלכת השמים:

Quibus verbis ostendit Abarbanel, se jam antea tradidis-
 se, quod Deus, quem coluerint, pro sole habitus et Moloch
 appellatus fuerit. Sicut enim Scriptura solem Molochum
 dicat, ita eandem nomine reginae coeli lunam appellare.
 Consentit Braunius, et idem probat l. c. §. CXVII. ex 2. Reg.
 XXIII. 10. u. de quibus hoc tandem iudicium tulit:
 Postquam dixisset sacer scriptor com. X. Josiam profanasse
 Tophet in valle filiorum Hinnom, ne in posterum offerrent
 filios filiasque Molochi mox commate sequente addit: Re-
 movit etiam equos, quos posuerant Reges Judae in hono-
 rem solis. Patet itaque Molochum fuisse solem, eique ob-
 latos fuisse equos atque homines. Sed ejus ratio non
 tam perspicua, nedum tam firma est, ut eam protin-

nus

nus assensu excipiam, cum non recte concludatur, in utroque versu ejusdem simulacri cultum per diversa cultus symbola exprimi, ideo quod in vna serie commemorentur. Neque tamen ab illa sententia longius discesserim, propterea quod dudum Viri eruditi observarunt, omnes fere gentium deos ex solis imagine effictos esse, et ad eum haud absurde referri posse, quod Theodosiano aevo commonuit *Macrobius Saturnal. lib. 1. c. XX. XXI. et XXIII.* post eum *Hier. Alexander in mensa solis Rom. 1616.*, nostra memoria *Giesb. Cuperus in ἑρμηνείῃ Ὁμήρου commentario illustrata.* Quod adeo verum est, ut cultum solis ab omnibus fere gentibus receptum fuisse legamus. Ad hanc sententiam accedit *V. C. Th. Hyde de Relig. Vet. Persar. c. IV.* cum quo iungendus est *D. Hinckelman in Detectione fundamenti Böhmani p. 117. seq.* nec praetereundus est *Olaus Rudbeckius P. II. Atlanticae.* Non male igitur Molochi nomine solem intelligimus, qui Melech i. e. Rex dicitur, et modo, quo Graeci scriptores solem βασιλέως nomine appellant, quod ex veteribus nominatim ex *Philone* et *Juliano* liquet, et illo quidem *lib. τῆς κοσμοποιίας*, hoc *Orat. III. et VI.* ubi sol ὁ θεός nominatur, ad quem locum legendus est *Dionys. Petavius in eruditio ad Julianum Notis p. 92.*

XXII. His rationibus adducor, ut credam, Molochi nomine designari solem, quem veteres imagine quadam, ut nimis distantem propius cernerent, adumbrare voluerunt. Non dissentit *Spencerus* quum scribit *p. 325*: *Cum autem ob solis distantiam sacra ei ad votum fieri non ita commode potuerint, symbola nonnulla,*

D

quae

quae maxime congrua videbantur, in illius honorem consecrare pium esse judicabant. Inter ea ignis praecipuum solis symbolum aut signum vicarium habitus est, et illius loco sacris ceremoniis honoratus.

XXIII. Restat, ut de ritu infantes traducendi per ignem paucis agam: qua in re cum testimonia historicorum me deficiant, tum aegre difficultates expediam, nisi in argumento longe obscurissimo locus coniecturis relinquatur. Primo equidem observandum est, non vnius conditionis fuisse, qui per ignem liberos traduxerunt: Alii enim id sacerdotibus, alii parentibus hoc per ignem traducendi munus assignant. Ad Sacerdotes retulit *Iarchius*, qui rectius dicitur *Isaacides*, in *Comment. ad Levit. XVIII, 18.* et *Anonymus quidam in Micblal Iopbi* laudatus ad b. l. E diverso *Maimonides* hoc parentibus tribuit, nam sacerdotibus quidem infantes a parentibus traditos fuisse, sed parentes deinde, concessa ab illis potestate, infantes per ignem traduxisse testatur in citato superius loco. Quorsum legi potest *Hortingerus de Iure Hebraeorum p. 307.* Alii liberos obstetricum opera per ignem traductos existimant, quod ex *Maimonide* nuper elicere voluit *Braunius in Sel. sacr. p. 470.* Et fortasse, ut diligentissimus rituum Hebraeorum animadversor observat, vestigium ritus infantes traducendi per ignem hodie in eo cernitur, quod obstetrices etiam nunc parvulos fasciis involutos super igne graviter olente hinc inde moveant. Sed nimium deflectit a *Maimonidis* instituto *Braunius*, quod consuetudo a Magistro tradita potius ad ritus illius, de quo dixi, reliquias pertinere videatur.

deatur, nec dici tuto possit, idem ultimis impiorum
hominum, qui simulacra coluerunt, seculis licuisse,
quod sequiori Maimonidis aetate licitum et usu re-
ceptum fuit. Multo minus approbandum puto,
quod *Spencerus p. 320. libri saepius dicti* hoc ex loco ap-
probare doctis voluit, nefandos impiorum numi-
num cultores parvulos suos per flammam agitasse.
Nam verba Maimonidis non de antiquo illo ritu, sed
de recentiori aetate intelligenda sunt, quandoquidem
is sui temporis morem, qui ex prisco isto ortus vi-
detur, exponit, quo infantes non tam ignem, quam
fumum ignis experiri necesse habuerunt. Maiore
tamen veri specie dici possit, matribus, natura quam-
vis et affectu tenerioribus, licuisse liberos igni lustran-
dos offerre. *Theodoretus* quidem adhuc sua aetate
hanc tenuisse consuetudinem docet, et auctoritate
sua firmat, quum scribit in *II. Reg. quae. XLVII.*
ὅτι βεβήθη παρὰ θεοῦ μέγα πορρὸ τῶν μητέρων διὰ τῆς φλογὸς
a se visa esse. In his sententiarum divortiis nil temere
definio, tantum quod verisimile est, statuo, omnes,
quos commemoravi, sacerdotes praecipue, patres item
et matres munere liberos per ignem ducendi commu-
ni quadam potestate defunctos.

XXIV, Non minor est dissensio in constituen-
da transitus ratione, cum alii per medias ignis flam-
mas, alii per rogos utrinque instructos et sibi ex ad-
verso oppositos transire pueros oportuisse tradant.
Primum *Maimonides* commemoravit modum loco su-
pra §. XX. nominato. Quod, ut summo cum peri-
culo coniunctum videbatur, sic alios movit, ut aliam
-ασιῶν
D 2
eam-

eamque tutiorem eligerent viam. Equidem si *Pandectis Talmudicis cod. Sanhedrin c. VII.* fides habenda est, parvuli oleo salamandrae a parentibus inungi consueverunt, quod ignis vim reprimeret atque impediret: sed cum non fallentibus rerum naturalium experimentis cognitum sit, in Salamandra eam ignis restingvendi vim non inesse, ut docent Eruditi, et probant *Cinellus in Biblioth. Volante Fascic. VI. Edmund. Dickinsonus in Physica Vet. et Verac. X. §. IV. Jac. Thomafius in Dissertat. de Stoica mundi exustione p. 89. seq. qui Dioscoridem lib. II. c. LVI. suffragatorem habet, et novissime in Ephemerid. Curios. dissertatione singulari recte id accurateque confirmatur, parum abest, quin dicam, hoc recentiores Hebraeorum Magistros more suo liberius confinxisse. Fortasse isti homines artem norunt, quam circulatores usu probant, qui ab igni, quem manibus tractant, non laeduntur. locatur, puto, in hanc sententiam *Braunius Select. Sacr. p. 473.* neque tamen hunc experientia destituit, quae confirmat, multos sine noxa vel devorasse ignem, vel manibus ne ambustis quidem tractasse, qualia legi possunt in primis apud *Cl. Hydium de Relig. Vet. Persar. c. XXIV.* et apud *Kirchmaierum*, rerum harum oppido peritum, ep. IX. Nec desunt exempla eorum, qui nudis pedibus per ignem, aut vomerem igne incensum sine damno transierunt: talia enim bene multa commemorantur a *Cl. Baelio T. I. Dictionar. Historico Critic. p. 953. b. et Tom. II. p. 1570. seq.* Eo pertinet veterum Germanorum consuetudo, qua homines in criminis suspicionem adducti, ignis iudicio innocentiam suam defen-*

defendebant, si incolumes transirent, nec pedes
flamma laederentur. Exemplum huius rei praebuit
Kunigundis Henrici II, Augusta coniux, de qua legen-
di *Bronnerus et Bangertus in Notis ad Helmoldum*. Qua de re
exstant *Dissertationes D. Loescheri et Becmanni*. Addendi
Huetius in Alnet. Quaest. lib. II. c. XXII. Morhofius de Para-
doxis sensuum c. V. Car. Du Fresne Glossar. mediae et infimae
latinitatis Tom. II. P. I. p. 187. seq. Pet. denique Baellius l. c. in
Artic. de Emma, quam de violata pudicitia delatam,
incensos vomeres nudatis pedibus transiisse, complu-
res testantur.

XXV. Atenim vero haec exempla nondum effi-
ciunt, ut credam, superstitiosum ignis transitum im-
piorum hominum liberis sine noxa contigisse. Quae
haud dubie causa fuit, cur quidam, habita maioris
periculi ratione, parvulos tantum inter duos lignorum
rogos traducendos putaverint. Quem ritum hoc
modo descripsit *Iarcbius ad Levit. XVIII. 21. et Deuter.*
XVIII. 10. itemque *R. Levi Ben Gerson ad II. Reg. XXIII. 10. 11.*
Neque ab eo discessit Auctor ופי מכלל *ad Levit. XVIII.*
21. vbi haec habentur. שם עץ כרוזו עבודתה שמוסר בנו
לכומרים ועושים שתי מדורות גדולות ומעבירין
בין הכן ברגליו בין שתי מדורות האש:
h. e. *Molech est idoli nomen, cuius cultus fuit, ut traderet*
quis filium suum sacerdotibus, qui faciunt duas pyras magnas,
inter quas filium pedibus traducunt.

XXVI. Haec, mea quidem opinione, documento
sunt, Iudaeos exempla gentium secutos, superstitioni
earum dedisse operam, et ritus profanos impiosque
accepisse ab illis et observasse, tantoque maiori ve-

neratione ignem profecutos, sanctissima Dei mandata
libidini mentis, et pravae peregrini cultus aemulatio-
ni postposuisse. Novum, neque infirmum huius rei
argumentum peto ab incensione lampadum sub initi-
um sabbati fieri solita, quam a Deo minime omnium
receptam aut praescriptam inter praecipua sabbati
cultus momenta retulerunt. Docent hoc praestan-
tissimi Iudaeorum Magistri *Maimonides* et *Bartenora ad*
Tractat. Talmudic. תבש"ע. II. qui habetur T. II. Miscbnae a
Cl. Surenhusio nuper admodum curatae p. 9. seq. ubi de olei ge-
nera, quod accendendis et alendis lampadibus adhi-
betur, copiose et diligenter tractant. In ipso etiam,
legum corpore, quod Miscbnam vocant, cap. II. alias
inter causas, quod uxores partum infelicem edant,
et mortem plerumque obeant, numeratur speciatim
negligentia curandi lampadas, quarum diebus sabbati
usus est. Itidem §. VII. admonentur patres famili-
as, ut vespera, cui sabbatum imminet, de tribus po-
tissimum solliciti sint, et nominatim de lampadibus
curandis laborent. Minutam hanc et superstitionis
affinem Iudaeorum diligentiam iam olim derisit Sene-
ca ex eo praesertim capite, quod lumine dii non egeant,
neque homines fuligine delectentur in epist. ad Lucilium XCV.
Haec tamen consuetudo certe antiquissima foret, si
locum dederim coniecturae *Cl. I. H. Vrsini, qui P. I. An-*
nal. Sacr. c. XLIII. lib. V. in loco Jerem. XXV. 10., quo Deus
comminatur et denunciatur, futurum, ut cantica gau-
dii plena, et vox amica sponsi sponsaeque, et denique
lumen lucernarum Iudaeis auferantur, postremum
hoc de lampadibus sabbato accendi solitis exponit.

Verun-

Veruntamen neque ignorat neque inficiatur Vrsinus,
lampadum usum in convivii Iudaeorum maxime,
solennem fuisse, praedictus autem Ieremiae lo-
cus cum ad solennem convivii apparatus praecipue
spectare mihi videatur, illum de lucernis convivio-
rum interpretari malim. Sed diutius in hoc tali ar-
gumento occupari nolo, et postquam luculenta anti-
quitatis huius vestigia ostendi, finem disquirendi fa-
cio, et adeundos consulendosque svadeo *Leusdenius*
in Philol. Hebraeo mixto Diss. XXXIV. Buxtorfium in Sy-
naog. Iudaic, c. XV. et Io. Lundium lib. V. Sacerdotii Le-
vitici p. 942. Neque in capite rituum profanorum omit-
tendus est Io. Gv. Stuckius antiq. conviv. l. III, p. 412. Va-
ria lucernarum nomina exposuit Pollux. Λαμπτήρα, in
Achaicis enarravit Pausanias. Primordia lucernarum ab
Aegyptiis capienda duxit Clemens Alexandrinus Stromato-
rum lib. I. Ex hoc Ensebius de Praeparat. Evangel. l. X.

c. 6. Quod secure probavit Fortunius Lic-
sus de Lucern, lib. V. c. 4. p. 538.

S. D. G.

OS (O) OS

Quam gnauus Musas coluisti, dulcis Amice!
En! Specimen praefens indicium esse potest.
Gratulor ex animo; coeptis Deus annuat opto:
Atque velit studiis addere summa tuis!

M. CHRISTIANUS SANDMAN, Hamb.


Eccl. Prettin. Diac.


Dum, quos perpetuis ignes veneratur in aris
Abramides, docta condis, Amice, manu;
Ingenium Musa ipsa tuum veneratur, et ignem,
Quo tua mirifice pagina mensque micant.
Igne carens quando Mopsiliber ibit in ignem,
Ignea Thilingi charta perennis erit.


Auctori Dissertationis officii causa scripsit

M. MICHAEL RICHEY,
Gymnas. Stad. Rector.

Ignea vis animi pertingit ad ignea coeli
Sidera, nec tenebris insinuatur humi.
Hinc solis cultum, proprio fulgore coruscum
Ingenio illustrem reddis, Amice, tuo.
Auguror inde tibi splendorem nominis, orbis
Qua patet, et spargunt sidera solque jubar.
M. IO. CHRISTOPH. VVOLFIIUS,







incipiam, cum non recte concludatur,
rsu ejusdem simulacri cultum per di-
mbola exprimi, ideo quod in vna serie
tur. Neque tamen ab illa sententia,
erim, propterea quod dudum Viri e-
unt, omnes fere gentium deos ex so-
ctos esse, et ad eum haud absurde re-
od Theodosiano aevo commonuit,
al. lib. 1. c. XX. XXI. et XXIII. post eum
n mensa solis Rom. 1616., nostra memo-
in *ἱστοριῶν τοῦ Ὁμήρου commentario illustrata.*
m est, ut cultum solis ab omnibus fere
um fuisse legamus. Ad hanc senten-
C. Tb. Hyde de Relig. Vet. Persar. c. IV. cum
est D. Hinckelman in *Detectione funda-*
17. seq. nec praetereundus est *Olaus*
atlanticae. Non male igitur Molochi
ntelligimus, qui Melech i. e. Rex di-
quo Graeci scriptores solem βασιλέ-
llant, quod ex veteribus nominatim
uliano liquet, et illo quidem lib. *ἑβ-
rat. III. et VI.* ubi sol ὁ θεός nominatur,
legendus est *Dionys. Petavius in eru-*
Notis p. 92. *ἱστοριῶν τοῦ Ὁμήρου*
rationibus adducor, ut credam, Mo-
signari solem, quem veteres imagi-
imis distantem propius cernerent,
erunt. Non dissentit *Spencerus* quum
autem ob solis distantiam sacra ei ad
ommode potuerint; symbola nonnulla,
D
quae